

80
I. N. J. C.

SPECIMEN ACADEMICUM

DE

V I R T U T E,
LIBERÆ CIVITATIS
FUNDAMENTO PRÆCIPUO,
QUOD,

*Consensu Ampliff. Facult. Philof.
in Reg. Acad. Aboëns.*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL,

Eloqv. Profess. Reg. & Ord.

Avo Materno Carissimo,

Publico examini submittit

CAROLUS FRIDERICUS MENNANDER,
Filius.

Die V. Jun, Anni MDCCLXV.

L. H. A. M. C.

ABOÆ Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

WIRTSCHAFTS
LITERATUR
FUNDAMENTAL
HERRIG HAZEL

CAROLE FRIDERICE MENNANDER,

Nepos ex Filia dilectissime.



Quum primum in nostrum conspectum finumque venisti, optare contigit, eo usque vita viresque superessent, dum te comite cathedram Academicam conscendere liceret. Placuit Divinae Providentiæ multiplicem erga nos gratiam hoc augere additamento; proinde voti hujus compotes facti partes oblatas suscipere debuimus. Eo lubentius in publico hoc ludo tibi volumus adesse, quo sæpius, tua infantia ludente, tecum collusimus. Quum enim post maturum admodum Matris tuæ ex fragili hac in vitam meliorem discessum, vix mense annum supergressus, in nostram delatus domum aliquantisper ibi maneres; quem in Filiam desideratissimam testari non amplius concedebatur, in te effudimus amorem; nec parum cepimus voluptatis ex illis, qui in te adhuc tenello emicabant ingenii honestum spirantis igniculis, quos & fovere & excitare jucunda occupatio erat.

Id vero nos maxime recreavit, quod, crescente ætate, cum studio Literarum studium Virtutis in te crescere animadvertimus. Nostrum quidem testimonium, quæ tecum est, elevare videtur con-
jun-

junctio; hoc tamen ad fidem eorum, qui te no-
runt, provocantes, adfirmare audemus, quod in
moribus adolescentiæ tuæ laudatum illud senile re-
peritur; nec alia tibi placent oblectamenta, quam
quibus non erubescerent maturiores. Quid in arti-
bus ingenuis profeceris, specimen hoc indicat, ex tua
ætate censendum. Perge igitur, quam ingressus es,
persequi viam. Paterna preme vestigia recti, &
Cujus inter ea, quæ ad hanc pertinent vitam, u-
nicum es delictum, Illius annos tibi pretiosissimos,
quantum in te est, bene agendo multiplica. In arti-
bus atque scientiis, tibi olim profuturis assidue co-
lendis persiste. Virtutem, illam & publicæ & pri-
tæ felicitatis basin atque columnam amplecti perse-
vera. Cætera providebit DEUS, Optimus factorum
Dispensator, Cujus gratiæ & curæ te tuamque for-
tunam ex imis animi penetralibus commendo

*tui amantissimus
avus maternus*

HENR. HASSEL.

MAGNÆ SPEI JUVENI,
D: no CAROLO FRIDERICO
MENNANDER,

DE
VIRTUTE, Liberæ Civitatis fundamento præcipuo
Disputanti.



Forte sub umbrosa lauro confederat ordo
Musarum, cui mox talia Phœbus ait:
Dicite Pierides, res est indagine digna
Vestra, cur non Gens Libera quæque viget?

Cur alii fortuna favet, vicinaque contra
Grandibus inceptis excidit usque suis?

Qui modo erat concors, in partes scinditur ordo,
Musaque vult sensum quæque valere suum.

Tum vero Uranie, cognato flamine mota,
Fallor, ait, vel rem non tetigistis acu.

Est aliquid, fateor, vastis dominarier oris;
Mole tamen nimia Roma superba ruit.

Nec satis est operis amplos componere census;
Nec nostros casus plena crumena regit.

Felix est Populus, qui Libertate fruatur;
Munera sed castâ tanta tuenda manu.

Libertati igitur jungatur candida Virtus,
Hoc duplici fulcro regna beata stabunt.

Namque animet Pietas, jus & concordia cives,
In Patriæ tendent æmula faciâ bonum.

His alacres animi, vis & sententia firma,
Rebus & in dubiis indubitata fides.

His

His igitur possunt nil prospera fata nocere;

Flectere nec casus robora tanta valent.

Fulminet ad portas sævus licet Annibal omnes;

Mens Virtute calens nulla pericla timet.

Virtuti debetur honos, pax, copia rerum,

Almaque Prosperitas huic comes ire solet.

Hoc nobis monstrant MENNANDRI scripta polita,

Virtuti pretium vindicat Ille suum.

Dixerat. At Musæ tacite mox cuncta volutant,

Quæque legunt, reputant, digna notanda cedro.

Tum vero Phœbus, Juvenum Leciissime, dixit:

Ingenii venam sat probat hicce liber.

Imperii fausti ponis fundamenta certa,

Moribus atque probis crescere regna doces.

Teque opus hoc decuit, veræ Virtutis alumnum,

Quem studium cunctis integritasque probant.

Quo nemo antiquæ propior contendere laudi

Quivit, & ad verum pressius ire decus.

Incipe sic Magnum meritis æquare PARENTEM,

Virtutes pariter sic imiteris AVI.

Hacce via Te ducet Honoris pronuba Virtus,

Quem magna ad quævis Provida Cura vocat.

Applaudunt omnes, Auctori &serta pararunt,

Dumque eadem neciunt, hoc cecinere melos:


TU, MENNANDER, eris, paucis quod contigit esse,

Delicium nobis, delictumque Polo.

TUI

Studiofissimus

JOHAN. BILMARK.



§. I.



Per VIRTUTEM hic designatum volumus complexum eorum, quæ homini quoad *Intellectum* & *Voluntatem* ita insunt, ut per illa ad officium faciendum aptus & idoneus fiat, sive qualitatum sive perfectionum vel alio quocunque nomine veniant. Ut autem *Officia* partim respiciunt singulos homines, partim *Rempublicam*, ita *Virtutes* in *Morales* & *Civiles* dividi possunt. Sic nomen *Virtutis* in eodem sensu adhibetur, quo apud *Moralistas* & *Politicos* occurrit, qui usu etiam vulgari plerumque invaluit. *Moralibus*, tamquam fundamentis nituntur *Civiles*, atque in ordinem *Civilium* transeunt *Morales* pro ratione influxus, quem præbent in *Rempublicam*. Quæ sic inter se cohærent, has in sequenti tra-

Statuuncula neque divellere fas erit; ita tamen, ut VIRTUTUM CIVILIUM potissima ratio habeatur.

LIBERA CIVITAS nobis dicitur illa, in qua summa potestas residet penes plures. Hanc pluralitatem constituit vel ipsa universitas civium sive *Populus*, vel pars tantum sive *Optimates & Nobiles*. Priori casu *Democratia*, posteriori *Aristocratia* existit. Neque *Libertati* aliquid decedit per potestatem Regiam, si Legibus fundamentalibus sit definita, atque Populo reservatum maneat Jus cognoscendi de administratione imperii, & si quid contra Leges fundamentales actum fuerit, corrigendi. Dantur etiam Civitates, in quibus Princeps jura quædam Majestatica exercet independentem a Populo, unde mixtura quædam inter *formam regiminis Monarchicam & Liberam* exoritur.

Inter paradoxa referri meretur sententia Illustr. MONTESQUIEU, qui *Libertatem Civilem* constituit in separatione *Potestatis Legulatorie, Judicariæ & Executricis*, ut non binæ earum in una Persona aut Collegio, nedum omnes tres conjungi queant salva libertate. Ita enim disserit in Libro *l'Esprit des Loix, Libr. XI. Cap. VI*: "Lorsque dans la même
"personne, ou dans le même Corps de Magistrature,
"la Puissance Législative est réunie à la Puissance
"Exécutrice, il n'y a point de Liberté; parce qu'on
"peut craindre, que le même Monarque ou le même
"Sénat ne fasse des Loix Tyranniques, pour les exé-
cuter

*cuter tyranniquement. Il n'y a point encore de Li-
berté, si la Puissance de juger n'est pas séparée
de la Puissance Législative & de l'exécutive. Si
elle étoit jointe à la Puissance Législative, le pou-
voir sur la vie & la Liberté des citoyens seroit ar-
bitraire; car le juge seroit Législateur. Si elle étoit
jointe à la Puissance Exécutive, le juge pourroit a-
voir la force d'un oppresseur.* Quod gratis hoc as-
feritur, res ipsa docet. Nihil enim impedit, quo-
minus penes populum jura ista unita existant, li-
cet exercitium eorum certis quibusdam personis
aut coetibus delectis sit demandatum. Ex ista ve-
ro originaria Jurium Majestaticorum sejunctione
Respublica potius irregularis enascitur, quam vera
& solida libertas. Nonne apud Romanos jus bel-
li & pacis, foederum, legum ferendarum, Magi-
stratum creandorum, & in causis gravioribus ju-
dicia in manu Populi erant? Ut acta Senatus ra-
ta haberentur, a populo confirmari debebant. Quis
vero ideo libertatem abjudicaverit Romanis? Ne-
que concipi potest, quod Populus in semetipsum
tyrannidem exercere queat. Quod in collisione fa-
ctionum una pars vim inferat alteri, id extraordi-
narium est, inter morbos Reipublicæ referendum.
Sed quid est, quod antiquis & peregrinis immo-
remur exemplis, quum suppetit præsens atque do-
mesticum? Cellissimi enim Regni Ordines non so-
lum suprema in negotia Civilia inspectione utun-
tur, verum cætera etiam jura Imperii exercent;

quod tantum abest, Libertati officiat, ut ad ipsam
ejus perfectionem pertineat.

§. II.

Nulla civitas virtutis omnino expers esse potest.
Finge cœtum hominum, qui omnibus vitiis
dediti, se invicem quocunque modo perdere vellent,
& ad hoc exsequendum omnem expromerent co-
natum; quod semetipsum illico destructurus esset,
facile intelligitur. Quemadmodum enim salus &
felicitas singulorum absque virtute concipi nequit;
ita idem de magnis illis hominum societatibus va-
let. Recte igitur veteres Philosophi virtutem feli-
citatibus civilis causam & efficientem & formalem
constituerunt. Verum pro diversa ratione regimi-
nis, diversa quoque est relatio virtutis ad Rempu-
blicam ejusque conservationem. In *Despotismo*
virtuti est minimum loci. Per Despotismum intel-
ligimus regimen, quo ex uno Principis arbitrio o-
mnia pendent, neque leges tantillum valent, sed
sola vis & metus; cujusmodi imperia olim existi-
terunt atque etiamnum existant in Oriente plera-
que omnia. Quod autem coacte fit, id ex princi-
pio virtutis, quæ libertatem supponit, derivare vix
licet. Quis diligentiam servi, in ergastulo sudantis,
laudaverit, cujus cervici & dorso pro lubitu insul-
tat rigidus operis exactor? Neque, quod libertatem
qui-

quidem attinet, multo melior est conditio servis inauratis in aulis Despotarum, qui, indicta causa, non solum officio & bonis, sed vita etiam haud raro spoliantur. Quod his durum incumbit fatum, idem ad alios, potestati eorum subjectos, continua subordinationis serie ad infimam usque plebem se extendit. Sic locum liberæ virtutis occupat servilis adulatio; quæ metu, quo continetur obsequium, paulisper cessante, in veritatem prorumpit, ipsi Despotæ exitiabilem, ut multiplex temporum experientia docet. Hoc non potest non perspectum esse Despotis; quare virtutes eminentiores, a quibus imprimis sibi metuunt, semper illis suspectæ sunt, plerumque exosæ. Scilicet Despota talis est Hercules, qui clavam gerit, qua virtutis alumnos, suspectiores sibi quam malos contundit, non sceptrum, quo populum regeret. Cum Despotismo non confundenda est *Monarchia*, quæ licet in eo conveniant imperia, quod in utroque summam potestatem unus tenet, in *Monarchia* tamen certa quædam privilegia Civibus competunt, leges obtinent & judicia, nec facile quisquam nullius criminis convictus, jure suo fraudatur, vel pœna adficitur; quæ omnia secus comparata sunt in Despotismo, ut modo innuimus. Virtus itaque hic locum habere potest. Neque negari debet, quin *Monarchicis* in imperiis clara virtutis exempla reperiantur, præsertim ubi suo præluxerit Princeps. Juxta tamen concedendum est, quod mala Despotismi hic existant aliquando; quæ licet

licet manifesta adeo violentia non grassentur, ut in Despotismo fieri solet, variis nihilominus prætextibus colorata, & certis quasi formulis adstricta, in eundem delinunt effectum. Verum, si bene siue male administratur Monarchia, tantum in ea virtutis non requiritur, neque hujus tam late se necessitas extendit, atque in *regimine libero*, quod in hac *tractatiuncula* demonstrare propositum est. Tuum, L. B. favorem expeto venerabundus.

§. III.

Cum præstantissimis Politicis ad felicitatem civitatum pertinere statuimus, quod in illis scientiæ atque virtutes multos assiduos atque sinceros habent cultores. Ut itaque inter virtutes sic dictas Intellectuales, nec non Morales & Politicas arctissimum intercedit vinculum; siquidem nemo bene agere potest, nisi recte sentire prius didicerit; sic a proposito haud erit alienum, breviter ostendere, quod *Virtutes etiam intellectuales* in libero regimine magis sint necessariae, & plures eisdem operam navare debeant, quam in reliquis imperiorum formis. Adfatim nuper vidimus, quod in Despotismo homines per vim & metum reguntur; metus autem hic magis continuari nequit, quod tamen securitas Despotæ postulat, quam si subditi densis ignorantiae tenebris involvantur, atque ita confundantur,

tur, ut quam minimam jurium humanorum habeant cognitionem; ex hac enim opinio propriae praestantiae, huic imperio maxime exitiosa, facile enasci posset. Ne igitur in suspicionem quandam incurrant erectiora ingenia, malunt, si sapiunt, lenibus ignaviae & ignorantiae venenis sopiri, quam Phalaridis tauro propter prudentiam comburi. Unde porro consequitur, quod in rigido hocce imperio aut nulla aut certe perversa sit juventutis educatio, immo, quod tantum non omnia adminicula, excolendis ingeniis inservientia, sollicitè removeantur. His tamen non negamus, quin Despota & primarii ejus ministri, quibus plerumque praevallet unus, artes regnandi huic statui convenientes utcumque intelligant. Sed quis non videt, quam arcte sic habitet Pallas, quum ex ancipitibus, quos subinde experiuntur, casibus exigua prudentia & ingentibus viribus se expedire quam maxime soleant isti dominatores. Pulchre igitur acutissimus MONTESQUIEU *Libr. IV. Cap. III*: “L’extrême obéissance suppose de l’ignorance dans celui, qui obéit, elle en suppose même dans celui, qui commande: il n’a point à délibérer, à douter, ni à raisonner, il n’a qu’à vouloir.” Sicut autem Monarcha ad splendorem imperii sui promovendum omnibus connititur viribus, ita etiam Minervæ, quæ ignorantiae caliginem dissipat, benignum præbet adiutum. Quicquid vero sit, in imperio jam memorato plerumque sufficit, si Princeps & pauci Ministri artes regnandi calleant atque imperii arcana pro-

probe intelligant. Quod ad cæteros vero attinet, nihil fere ipsorum prudentiæ atque industriæ relinquitur, sed fatis est, si eam quisque reipublicæ partem, in qua curanda occupatur, solum cognoscat, & insuper mandata Principis stricte adeo exsequatur, ut ne latum quidem unguem a regularum præscriptarum recedat tenore. In Liberis autem Civitatibus maximam deprehendimus virtutum intellectualium necessitatem; quippe in his non solum eadem, quæ in statu Monarchico sibi perspecta habebunt cives, sed multo plura observabunt, si sibi deesse nolint. Quum enim non fumosis tantum, quibus atria laborant, majorum imaginibus, sed luculentis meritis ad honores in his paratur aditus, nec quisquam fere sit, nisi quem vel fœcordia inhabilem, vel flagitia indignum reddiderunt, qui non aliquando in partem imperii venire possit; ne spe, quam de ipso conceperunt sui, excidat, opus omnino est, ut variarum rerum notitiam sibi acquirat, quæ illustri adeo provinciæ ornandæ sufficiat. Plenius hoc ipsum constabit, si argumenti hujus examini paulisper inhærere liceat. Scilicet in comitiis maxime disquiri solet, tam de fœderibus cum aliis populis, quam de bellis vel suscipiendis vel gerendis, vel etiam finiendis. Enimvero qui de his negotiis cum ratione judicabit, non solum Patriæ suæ aliarumque gentium præsentem, & qua partem præteritum statum non ignorabit, verum juxta discernere valebit, quæ rebus, hoc, quo se offerunt, modo

con-

constitutis, earum consecutiones expectandæ sint; quod prudentiam exigit, non propria tantum experientia, pro tanta necessitate plerisque arctiori, sed aliena etiam, quam exhibet lux illa temporum Historia, oculatam. Oeconomiam publicam illotis manibus rite tractaverit nemo. Quod si vitia quædam illam invaserint, his convenientem invenire medicinam altioris indaginis res est. Neque consultum foret, causas forenses per tot intermedios gradus ad extremum deductas, absque juris intelligentia terminare. Et sic de cæteris. Quemadmodum per communem fortis humanæ fragilitatem non potest non fieri, ut Civitas aliquando graviores contraxerit morbos; ita causas eorum, ex longinquo interdum repetendas, detegere, & maximis, quæ hic obveniunt, obstaculis perfractis, salutis publicæ laboranti subvenire, in ipso fastigio prudentiæ civilis positum est. Ne quis autem dicam nobis scribat consummatæ nimis peritiæ, a civibus in libero regimine exactæ, erit insuper animadvertendum, quod humanæ conditionis non adeo sumus obliti, ut illam ab omnibus requiramus, qui in comitiis suffragia inibunt; bene enim comparatum est, si tot horum eo ingenii acumine eaque rerum scientia præditi suppetunt, quot necesse est; modo cæteri matura eorum consilia audiant & admittant, defectum notitiæ candido in Patriam affectu & incorrupta animi integritate suppletes.

Virtutum intellectualium consideratio aliquantum nos detinuit; jam ad Moralium & Politicarum necessitatem expendendam nos accingimus. Iſtas inter locum ſibi facile primum vindicat alma PIETAS, quam hic definimus per ſerium ſtudium vitam ad voluntatem Summi NUMINIS componendi. Latiffime omnino patet hujus virtutis uſus. Quam primum enim DEUM cogito, ſimul Ens mihi repræſento, tot tantisque præditum perfectionibus, quantis majores ne concipi quidem poſſunt. Colligit mens, Ipſum Omnipotentem & Optimum eſſe, cui bona omnia accepta refero, Sanctiſſimum, qui probis delectatur actionibus, peccata autem quævis averſatur, nec non Juſtiſſimum, qui non ſolum Legem ſuam cordibus noſtris alte impreſſit, ſed & unumquemque ex merito vel præmiis vel pœnis mactat. Hæ autem meditationes fortiſſima præbent vitæ innocentis incitamenta, quum *”Nihil magis ad vitam honeſtam proficiat, quam ut credamus, Eum judicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant & honeſta delectent, ut”* loquitur AMBROSIUS *Libr. I. Offic. Cap. 26.* Hoc quoque modo mores cum ingenio formantur, & ſicut plauſtra in præcipiti aut declivi funis retinet ac ſiſtit; ita etiam *Pietas* animum, ſi hunc cupidines & adfectus, ſvaves illæ ſed ſubdolæ Sirenes, in tranſverſum rapere nituntur, continet, & in

re-

recta rationis semita confirmat. Nec fieri potest, quin homo, religionis expertus, cupiditatibus obsequatur, quoties vel ceiatum iri factum sibi persuadet, vel quascunque ob causas impunitatem sibi promittit, vel alio quodam adfectu vehementiori a crimine patrando non revocetur. Hoc vinculo rupto, quæ pactorum observantia, quæ jurisjurandi sanctitas foret? quorum tamen in rebus humanis tanta necessitas deprehenditur. Ita, quum per se plurimum valet *Pietas*, tum maxime insignis est ejus utilitas in condendis & conservandis civitatibus; unde PLUTARCHUS jam olim adseruit: *Civitas urbem sine solo, quam Republicam sine opinione de Diis aut constitui, aut constitutam servari posse*, vid. contra COLOT. Cap. XLVII. Scilicet qui in Civitates primum convenerunt, tranquillam in his & felicem sibi quæsierunt vitam. Nulla vero felicitas sperari potest, ubi summa imis miscentur, quamobrem salus publica exigebat, ut cives in negotiis suis certas actionum regulas seu leges sequerentur. Leges autem humanæ fundamenti loco substernunt Leges Divinas Naturales; Nam istæ ne concipi quidem possunt absque notitia Summi Legislatoris, nedum vim obligandi ullam habent. Evidens itaque est, quod Civitates quæcunque non diu consistere queant, nisi ipsam earum molem sustineat Religio. Hoc satis superque sibi perspectum habuerunt, qui prima imperiorum fundamenta locarunt; quare in hoc incubuerunt maxime, ut sensum Religionis in civium animis confir-

firmarent. Quantumvis enim barbara fuerunt tempora, in quæ incidit illorum ætas, viderunt tamen, quod fortunam pro lubitu sibi fingere nemo potest, sed illam e Cælis esse devocandam; inde consiliis maturitatem, indeque cœptis vim & felicem successum impetrandum. Animadverterunt etiam, quod Religio bonos efficit viros & optimos cives, patientes onerum, & publicæ utilitatis amantes. Quum tantam Religioni præstantiam merito vindicemus, Pseudo-politicorum placita magnopere detestamur, qui Divinum hoc Palladium pro invento tantum humano habent, eum in finem excogitato, ut populum natura ferocem & contumacem sic mitigarent, &, quorsum vellent, inflecterent Imperantes. Nam qui cavillantur talia, impiæ potius serviunt scenæ, quam veritatem factorum sequuntur. Nunquam enim probari poterit, quod primi cives ante unionem inter se factam & conditam Civitatem athei erant, ut a Principe demum acceperint religionem; verum supposita, quæ prius animis eorum insita fuit NUMINIS reverentia, sacra publica instituerunt Principes, &, quæ ad cultum Divinum necessaria videbantur, ordinarunt. Quare ipsi quoque gentiles hanc opinionem, tanquam ingenii quendam abortum, explodunt. Ita enim CICERO: *In specie fictæ simulationis, sicut reliquæ virtutes, ita Pietas inesse non potest, cum qua simul & sanctitatem & religionem tolli necesse est*, (vid. *Libr. I. De Natura Deorum, n. 2.*). Absit vero, ut his in medium allatis causam religionis gentilium

tilium ageremus, probe gnari, quod certa quædam dogmata vix habuerint, sed major pars cultus eorum in ritibus tantum quibusdam atque cæremoniis confiterit. His tamen sub involucris comprehensæ fuerunt cum aliæ veritates, tum illa præcipue, quod existit DEUS, rerum omnium Conditor atque Moderator, qui bona & egregia facta præmiis ornat, mala autem ita punit, ut pœna non solum in ipsos scelerum auctores, sed sæpe etiam in integras civitates redundet, juxta illud Lyrici: *Di multa neglecti dedere Hesperie mala luctuosa* (vid. HOR. *Libr. III. Od. VI.*) Huic insuper dogmati annexa atque innixa fuit plena gentilium persuasio de immortalitate animorum & de vita post hanc futura, in qua ambigua, qualis in his terris sæpe est, piorum & malorum differentia tolletur, & quam promeruit fortem, unicuique tribuet justissimum NUMEN. Atque hæc immortalitatis consideratio maxime ad tranquillitatem & felicitatem civilem conducit; illa enim firmam & indubiam reddit obligationem ad religionem jugiter colendam, refrænât quoque & cohibet vitia in scio Legislatore Civili patranda, nec non a clandestinis sceleribus, furtis, cædibus aliisque similibus mortales strenue advocat. Quid? Quod vim suam entheam ibi potissimum exferat, quo non pertingunt Regum manus, & ubi pœnas non minatur secularis gladius. Quum itaq; tantum, quantum jam per transennam quasi vidimus, gentilibus profuerit Religio Naturalis, cujus creperam solum lucem intuebantur, quanto majores fructus

ex Religione Christiana colligere dabitur? quippe quæ non solum lacunas, quibus laborat Naturalis, supplet, sed etiam in negotiis ad salutem tam civilem, quam æternam pertinentibus, luculentissimam nobis præfert facem. Hujus porro præceptis rite non satisfacit, qui externis tantum & crassioribus vitiis abstinet, quum ipsa internam cordis puritatem, adfectuumque & cupidinum compositos motus quam maxime requirat, atque angustam censeat innocentiam, ad legem bonum esse. Talia quoque scita continet, quæ imperii civilis potestatem juraque Majestatis, disciplinam morum, jus judiciorum & armorum, mutuamque inter mortales tranquillitatem ac pacem quam efficacissime confirmant; contra vero suspiciones, dissensiones, factiones & alia his similia erebi monstra severissime proscribunt. Si omnes igitur ad frugem Christianam serio redirent, vitam degeremus jucundissimam & Cælitum forti haud multo dissimilem. Atque hæc de Pietate tam naturali, quam Christiana dicta sufficiant; comitemur nunc ipsam per diversas Regiminis formas. Igitur sicut in Despotismo crassa ignorantia mortales premit, ita vera *Pietas*, quæ sine justa Numinis cognitione nulla est, in hoc imperio vel negligitur plane, vel parcius colitur; miserrima tamen hic foret tam Imperantium quam parentium conditio, nisi Religio unicum illud esset repagulum, quod impedit, ne vel Princeps subditos penitus opprimat, neve hi in illum nova quotidie moliantur. Sententiæ nostræ obsidem habemus peritissimum

MONTESQUIEU, cujus hæc sunt verba: *Dans les états Despotiques, où il n'y a point de Loix fondamentales, il n'y a pas non plus de dépôt de loix. De là vient, que dans ces pays la religion a ordinairement tant de force; c'est qu'elle forme une espèce de dépôt & de permanence (Libr. II. Cap. IV.).* In Monarchia quidem & locum invenit & usum eximium habet Religio, præcipue vero in libera Civitate requiritur. Facile hoc patet, si modo cogitemus, quod plures hic de rebus maximi momenti deliberaturi, & quod convenientissimum habetur, decreturi, in unum conveniunt; qui, quum neminem in terris superiorem tantisper agnoscant, cui consiliorum & actionum rationem reddant, dignitate muneris facile abuterentur, arcana reipublicæ, quæ ipsis committuntur, proderent, atque in collisione boni publici cum utilitate privata hanc illi anteponeere vix dubitarent, nisi stabilitam rerum Divinarum notitiam habeant, & pectus vera pietate imbutum gerant. Profecto nulla ab eo sperari potest in administrandis bonis integritas, nec ulla in muneribus atque officiis obeundis fides, qui NUMEN non credit, neve continuo meminit, se in præsentia Judicis, omnia cernentis & pensantis versari. Pulchre igitur ratiocinabatur CYRUS apud XENOPONTEM: *Si omnes familiares (cives) DEI metuentes essent, minus aut inter se aliquid illicitum patraturi essent, aut in Ipsum.* Sic est; qui enim DEUM metuit, reveretur & homines. Qui DEUM offendere veretur, etiam homines violare
ne-

nefas ducit, quorum auctorem illum esse cognoscit. Hoc etiam constat exemplo Liberarum Civitatum, & quæ inter antiquas præcipue eminent, Reipublicæ Romanæ, quæ valde floruit, dum Pietas civibus curæ cordique fuit. Quamobrem CICERO auctus est gloriari: *non calliditate aut robore, sed Pietate ac Religione Romanos omnes gentes nationesque superavisse; (conf. Orat. de Arusp. respons. Cap. IX. circa finem.)* Nec admodum immerito, quum tanta apud ipsos olim fuerit pactorum constantia, ut dici queat, quod nihil primoribus labris promiserint, quin liberarent fidem & verba re ipsa sancirent. Quanta apud eosdem fuerit jurisjurandi reverentia, (dicente CICERONE Libr. III. *De Officiis* Cap. XXXI.) *indicant Leges in duodecim Tabulis, indicant Sacra, indicant fœdera, indicant notiones animadversionesque Censuræ, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant.* Quin etiam de REGULO, prout juraverat, in captivitatem redeunte eodem loco scribens, *hanc laudem non hominis, sed temporum fuisse* adfirmat. Quantum hæc tum valuit disciplina, probat etiam factum SCIPIONIS AFRICANI Majoris, qui, etsi non induciarum modo fides a Carthaginensibus, sed etiam jus gentium in legatis suis violatum esset, eorum tamen legatos supervenientes incolumes dimisit: *nihil nec instituto populi Romani, nec suis moribus indignum in iis se facturum esse*, professus. (Vid. LIV. *Historiam Rom. Libr. XXX. Cap. XXV.*) At, quum per omnium rerum abundantiam & felicem bellorum suc-

cessum *Pietas* apud eundem populum frigere cœpit, antiquæ fidei successerunt nefariæ cavillationes & bruta perjuria, unde innumera deinde mala originem habuerunt.

§. V.

Secundum a *Pietate* in DEUM sibi vindicat locum
 PIETAS in Patriam, sive amor illius Civitatis, cujus membra sumus. Per hanc enim, quum securitatem vitæ rerumque nostrarum & alia comoda obtineamus, æquum omnino est, ut eam sincero prosequamur amore, & omni, quo fieri potest, modo tueri studeamus; probe gnari, quod si ipsa in discrimen adducatur, nostra quoque salus non possit non periclitari. Augent hanc caritatem beneficia Parentum, propinquorum & amicorum in nos collata, quibus quum promeritas gratias referre pauci queant, bene saltem eis cupiant oportet. Enimvero horum omnium conservatio & felicitas a Patriæ pendet salute; proinde novo constat argumento, quod civium nemo sine crimine Patriæ amorem negligere potest. Immo hæc omnes omnium caritates una complectitur, adeo ut in collisione officiorum erga almam hanc nutricem & nosmet ipsos, ex sententia sapientum illa his sint anteponenda. Hic autem dissimulandum non est, quod singulæ imperiorum formæ huic amori conservando æque aptæ non sunt. Qui enim in Des-

G

pois-

potissimo vivunt & miseram, in qua cum ipsi, tum illorum cognati & amici versantur, conditionem secum perpendunt, Patriam, duram nimis novercam propter se non admodum diligent, sed desperationi semper proximi ingemiscunt: *Una salus nobis nullam sperare salutem.* In libera vero Civitate plura & validiora sunt vincula, quibus privata civium felicitas cum publica connectitur, adeoque, quum illam promotam nemo non cupit, hanc simul sollicitè curabit. Inter illa primum occupat locum tuta atque secunda, de qua cives hic potissimum sibi gratulari possunt, vitæ, existimationis, bonorumque possessio. Quin hæc in Monarchiis quoque obtineri queat, negandum non est, sed ibi ab alieno ut plurimum arbitrio pendet; hic sua manu eam tenent cives. Quod si illa incidat rerum conversio, ut ista securitas labefactata jaceat, de ipsa quoque actum est Libertate. Præterea, ubi Regem habet liber Populus, Ille est, quem elegerat, & qui secundum hunc regnat modum, quem optimum judicaverat. Par est ratio Illius, qui jure successionis a civibus descripto, regnum accipit. Supremos magistratus vel constituit, vel quomodo constituendi sint, idem determinat Populus. Reliqui officarii ad regulas ab ipso præscriptas adsumuntur, & muneribus funguntur suis. Nec aliis paret Legibus, quam quas vel tulerat, vel saltem comprobaverat. Instituta omnia sua sunt vel origine vel confirmatione. Quemadmodum vero natura est institutum, ut homo se, & quod a se exortum est, amet,

met, ita quæ adduximus, momenta satis efficacia videntur ad conservandum & augendum Patriæ amorem. Accedit & hoc, quod si liberam Civitatem qui morbi incessant, his ipsa mederi potest, quæ alibi facultas non datur; & nisi hoc fecerit, graviori præsertim urgente necessitate, habet, quod ipsa sibi imputet. Hæc & alia liberæ Civitatis comoda effecerunt, ut Patriam hoc munere dotatam tenerrimo affectu amplexi fuerint cives. Consulantur liberarum Gentium annales, & satis constabit, quod ipsæ & imminentibus periculis propulsandis suffecerint, & eximie floruerint, dum PIETAS in Patriam civium pectoribus infixamansit, & majores nobilem hunc ardorem, velut ignis ab igne accenditur, minorum animis infuderunt. Illustribus hujus virtutis exemplis olim abundabat Sparta, ubi civibus a prima infantia inculcabatur, ut ad moriendum pro Patria essent paratissimi. Eo spiritu instinctus Leonides cum trecentis Spartanis irruentem Xerxis exercitum sustinuit in Thermopylis, donec, multis hostium millibus cæsis, ipse cum suis occumberet. Quis ignorat, quod Romani, dum eos animavit Patriæ amor, privata quævis odia tantisper, dum publica res agebatur, deposuerunt, consilia & vires contulerunt, adeoque res maximas & omnium sæculorum admiratione dignissimas haud ita magno militum numero gesserunt? Immo omnium ordinum omnisque ætatis homines tam flagrante in Patriam Pietate fuerunt, ut, premente graviore necessitate, nec centurio, nec eques

eques ulla desideraverit stipendia; viri atque feminae aurea omnia & argentea ornamenta publicis usibus consecraverint, & pueri denique insignia ingenuitatis ad mitigandam temporum asperitatem tradiderint; ut nihil jam dicam de illis, qui pro Patria se devoverunt, quorum vita ne vinceretur civitas obstitit, mors vero fecit, ut vinceret. Inter hos imprimis sunt memorabiles Decii tres, Pater, Filius & Nepos, qui hunc vitae exitum habuerunt.

§. VI.

Quemadmodum vinculum omnis Reipublicae bene institutae sunt *Leges*, ita in libera singularis est earum necessitas, & quam sanctissime serventur oportet. Quo major namque Libertas, eo facilior est lapsus in licentiam, rebus quidem humanis omnibus, Civitatibus vero Liberis maxime perniciosam. In Monarchiis praeter ordinum privilegia, ad quae integra servanda initio regni se obstringere solet Princeps, reliqua imperii jura ex arbitrio ejus exercentur, cui resistere civibus non licet, nisi in manifestam tyrannidem degeneraverit. In libera Civitate dantur *Leges* fundamentales, quibus ipsa structura Reipublicae describitur, jura imperii limitantur, & verus eorum exercendorum modus definitus existat. Hae *Leges*, omine nomini respondente, sunt fundamentum libertatis, quibus mutatis, periclitatur, everfis cadit. Proinde pupillae instar
ha-

haberi debent, neque ulla novandi prurigne attrectari. Quin etiam, quæ rerum humanarum est conditio, omnimodæ perfectionis incapax, si quid continerent, quod in melius inflecti posse videretur, id tolerare præstat, & intactum relinquere, quamdiu unquam fieri potest, quam inconuenienti correctione grauioribus malis viam pandere. Hoc veteribus fuit perspectissimum. Sic Athenienses, dum liberi erant, instituta Solonis retinebant; disciplinam Lycurgi, quantumvis gravem & onerosam, custodiebant Spartani. De Romanis constat, quod, manente Libertate, certis quibusdam institutis inhærebant, ut ne durissimis quidem temporibus se ab illis dimoveri paterentur. Quid multis? Apud omnes Europæos, qui aliquid Libertatis habebant, quod de pluribus eorum adfirmari licet, Principis & Populi jura modusque regiminis quoad partes potiores vel Legibus expressis, vel Legum loco consuetudinibus designata erant atque dimensa, quæ vel laxius vel strictius observabantur, prout cuiuslibet Nationi curæ cordique fuit Libertas. Præter Leges fundamentales dantur aliæ quamplurimæ, quæ pro diversitate objectorum, de quibus sanciunt, diversas fortiuntur denominationes, atque in classes diversas dispescuntur. Et nulla existat Republicæ particula, de qua non aliquæ saltem existant Leges. In Monarchiis Princeps solus est Legislator, cujus voluntati nemo reluctari audet, & quod ille iusserit, ratum erit. In Rebuspublicis autem Liberis, ubi Jus Legum ferendarum est penes

Populum, aqua aliquando hæret. Fieri enim potest, ut Lex aliqua, Civitati licet maxime salutaris, vel multis civium, vel paucis quidem, sed potentioribus sit gravis, vel saltem minus commoda; unde aliud evenire nequit, quam ut varia eidem rogandæ obijciantur impedimenta, cum indignatione & strepitu haud raro conjuncta. Quod si perlata fuerit, mox nova contra eandem tentamina existunt, quæ prius quandoque non desinunt, quam Lege refixa, vel hoc aut illo modo mutata. In Legibus præsertim œconomicis exempla hujus rei frequentissima esse solent. In executione Legum Monarcha est primus motor, a quo vis earum & efficacia irresistibilis per subordinatas potestates ad infimos usque progreditur, & quidem ita, ut quilibet superior respectu inferioris sit instar Monarchæ, quæ inter illos, quamdiu eodem funguntur munere, perennat relatio. Ast in Libero Regimine res aliter se habet. Qui hodie subiectus est alteri, cras æquale cum illo jus habere, & perendie potestatem in illum exercere potest. Hoc subordinationem tam in Libero, quam Monarchico Regimine necessariam non quidem tollit, id tamen efficit, ut spiritus ille imperans ejusque rigor non æque semper vigeat. Proinde illa civium a se invicem dependentia ut Liberam Rempublicam suo modo continet, ita cautiorem sæpius, aliquando etiam tardiozem reddit executionem. Sic publicani, qui equites Romani erant, & non parum in Republica valebant, quum multa avare & injuste
face-

facerent, eorum audaciam jure & legibus coercere minus quandoque consultum videbatur; quamobrem Catonem, illum non secta magis, quam animo & vita Stoicum, carpit CICERO, quod sententia & auctoritate sua offenderit & a senatu alienaverit publicanos. Digna sunt, quæ hic adferantur verba CICERONIS ex Ep. 1. Libr. II. Epist. ad ATT.: *CATONEM nostrum non tu plus amas, quam ego, sed tamen ille optimo animo utens, & summa fide nocet interdum Reipublicæ. Dicit enim tanquam in Platonis πολιτεία, non tanquam in Romuli face sententiam. Quid verius, quam in judicium venire, qui ob rem judicandam pecuniam acceperit? Censuit hoc CATO. Censuit Senatus. Equites curiæ bellum, non mihi; nam ego dissensi.* Ad hæc & alia id genus mala vel prævenienda, vel si ingruant, sedanda, ne tranquillitatem publicam turbent, prudentia, animi moderatio ac tempestiva quoque severitas requiritur, & ut verbo dicam, quædam virtutis maturitas.

§. VII.

Cum obsequio legum arte admodum connectitur *Justitia*, quarum & genetrix & filia verissimo ænigmate esse debet. Hæc Virtus, cujus officium est suum cuique tribuere, latissime sese diffundit, adeo ut ne illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla ejus particula vivere.

vivere. Quanto igitur majorem habet vim in Civitatibus? quæ cœtus sunt juris colendi causa sociati. Hic scilicet diversi reperiuntur ordines, quibus munera diversa incumbunt. Omnes arctissime inter se conglutinat Justitia, potentioribus injungendo, ut curas atque vigilias in publicam utilitatem conferant, fas & æquum observent, nec in eadem causa uni parcant, alterum puniant; inferioribus autem præcipiendo, ut sedulo exsequantur, quæ magistratus decreverant. Si vero potentiores cæteros tenuiores, quorum commoda promovere deberent, opprimant, fieri non potest, ut liberæ Republicæ cives injustitiam audacius grassantem ferant; quin potius mitioribus primum viis eidem occurrere tentant, quod si non successerit, ad asperiora remedia deveniunt. Nec desunt varios apud populos exempla gravissimorum, qui hinc excitati sunt, motuum. Alterum Justitiæ munus est, quod rationem tributorum moderatur, adeo ut majora singulis non imponantur, quam quæ facultatibus illorum respondeant. Quod ut in Libera Republica observetur, hoc civibus reservatum esse solet, ut in illa ipsi consentiant, quo facto, de quo conquerantur non habent. Secus vero si fiat, indignationes existunt & querelæ, immo tantæ interdum animorum exacerbationes, ut in desperata consilia ruant multi, & horrendos excitent motus, ceu vel Angliæ Historia docet. Præterea, quum non minor sit virtus opes tueri, quam easdem comparare, justitiæ quoque est curare, ut
redi-

reditus publici rite administrantur. Exigit itaque a liberis civibus integritatem, adeo ut qui illis præfunt, semper cogitent, hæc sudoris civium esse stipendia, non in rem quorundam privatam intervertenda, sed illis tantum impendenda usibus, qui ad verum Patriæ commodum pertinent. Quod si contrarium accidat, partæ opes facile dilapidantur, & tantum abest, ut in futuras necessitates quidquam reservetur, ut potius necessaria sint nova tributorum genera, quæ præsentibus suppleant defectus. Quid inde sequi soleat, nimia temporum experientia testatur. Cernitur denique Justitia in præmiis atque honoribus distribuendis. In Monarchiis hæc sita sunt in uno Principis arbitrio; & qui emergunt, gratiam potius quam Justitiam extollunt. Neque Liberis Populis denegatum est aliqua gratiæ documenta edere, sed consultius plerumque judicant præeuntem comitari Justitiam; quamobrem Leges sanciant, ex quarum tenore ambienda & dispensanda sunt munera publica. Hæ quo diligentius fervantur, eo magis invidiæ, similitates & odia civium mutua, querelæ & contentiones evitantur, quæ, illis neglectis, gliscere & erumpere solent. Maximam hanc Justitiæ necessitatem satis comprobatur atque illustratur Historia. Rempublicam Romanam justitia crevisse adfirmat Sallustius. Et merito quidem; nam si prima ejus tempora spectemus, non tam ab hominibus, quam potius ab Heroibus, quales cana sibi finxit vetustas, ad-

ministrata fuisse videtur; tantum justitiæ atque moderationis in hac animadvertimus. Immo his virtutibus ita capti fuerunt Falisci, ut sponte se Romanis tradiderint, his usi verbi: *Dedimus nos vobis, rati, quo nihil victori pulchrius, melius nos sub vestro imperio, quam sub nostris legibus victuros* (Vid. LIVII Hist. Libr. V. Cap. XXVII.) Felix Roma, si eundem semper conservasset genium; felices etiam omnes Civitates, quæ illius, nondum ephæbæ æmulantur Justitiam atque integritatem; sic enim interna fruuntur tranquillitate, & propensum sibi devincient studium exterorum.

§. VIII.

Justitiæ non minus, quam cæterarum virtutum fulcrum est *Frugalitas*; unde pervulgatum olim fuit proverbium: *Hominem frugi omnia recte facere*. Hæc modum in omni vita determinans, ita rationem corporis nostri habet, illud corroborat, & negotiis gerendis aptum reddit, ut in animum quoque influat, eumque alacriorem & perspicaciorem faciat; nec non adfectuum, in devia nos rapientium violentiam frangat & comprimat. Quum calculos Oeconomicos rite, seu monet frugalitas, subducimus, modici etiam reditus necessitatibus nostris sufficiunt. Docet igitur Historia, Gentes, quæ hanc virtutem coluerunt, non solum corporibus robustas, verum etiam animis fortes atque intrepidas, & in dubiis maxime rebus constantes fuisse. Quantum

tum alios inter Populos hisce laudibus olim in-
 claruerunt Spartani, tantum præ cæteris frugali-
 tati adhærebant, qua severa eorum & rigida di-
 sciplina tam publica quam privata tanquam ner-
 vo continebatur. Rideat, cui volupe fuerit, qua-
 rundam gentium, frugalitati addictarum simpli-
 citatem, laudibusque extollat imperium, in quo
 quisque, quantum potest, suam curare solet cuti-
 culam, & quamplurimi laute ac splendide vivunt;
 næ ille, si vel tantillum suam excusserit intelligen-
 tiam, satis superque deprehendet, quod generi
 nostro nihil sit turpius, quam luxuria diffluere; ex
 quo innumera mala in universam redundant Ci-
 vitem, quæ tamen pro diversa regiminis forma
 admodum variant. Licet enim contendere non
 audeam, quod luxus in Despotismo sit necessa-
 rius; minus tamen huic imperio nocet, quum hic
 apud Proceres tantum hospitari queat, cæteris ad
 duram inopiam redactis, adeoque ipsa necessitate
 sobriis. Latius quidem in imperio Monarchico
 se extendit, & splendori illi, quo potentiores se-
 se jactare solent, valde infervit; non vero vel
 ad singulos ita serpit, vel altas adeo radices agit,
 quin Princeps idoneis Legibus & suo præsertim
 exemplo alas nitido huic pullo præcidere possit.
 Secus autem se res habet in libera Civitate, ubi
 dulce hoc malum per illam, quæ hic major est,
 inter cives æqualitatem successiva & per gradus
 facta æmulatione a primis ad infimos facilius de-
 scendit, donec totum ejus corpus pertransseat,

pehitusque corrumpat. Sic robur civium, quod modico rerum usu conservandum esset, continuis voluptatibus debilitatur; multos morborum agmina invadunt, plurimi vero segnes omnino fiunt atque ignavi. Hinc res quantivis momenti præpostere geruntur, plerorumque cogitationibus non tam in seria negotia, quam vana oblectamenta defixis. Hoc vero teterrimum est, quod idem luxus omnis injustitiæ sit sæcundissimus parens. Quum enim novæ commoditates & jucunditates vitæ novaque deliciarum artificia indies excogitantur, nec reditus illis parandis sufficiunt, qui aliis hac parte inferiores videri nolunt, quales sunt utique multi, pecuniam quo demumcunque modo strenue corradere nituntur. Nec desunt, qui natura si non optimi, minus tamen mali, necessitate domestica urgente, quodammodo coguntur ab agnito justo tramite recedere, ut, quod vanitas illis finxit, dedecus evitent. Alii, quum per luxum bona dilapidaverant, atque in extremam redacti sunt paupertatem, in desperationem vertuntur, adeo ut in turbido piscari, privatamque incendium publica ruina extinguere non dubitent; cujus furfuris erat famosus ille Catilina. Taceo, quod per luxum ingentes pecuniarum summæ ad exterarum nationes evolent, & cum rebus speciosis magis quam utilibus permutentur; unde sequitur, ut, quæ multorum prius rem privatam invaserat, hæc publicam demum corripiat egestas. Mitius certe hæc mala se haberent, nisi tanta eorum esset

esset ferocia, ut nullam fere admittant medicinam. Hæc enim a Legibus expectanda foret, sed quarum auctoritas ab hominibus luxui devotis vel negligitur vel dextre eluditur. Quid? quod morbo hoc epidemico facto, qui medicinam facturi essent, ipsi qua partem ægrotent. Nec inde leve curationi accedit obstaculum, quod civium quidam ex hac Reipublicæ peste lucrum capiunt, adeoque pro ea pugnant tanquam pro aris & focis. Similis igitur est talis Civitas homini fabricitanti; nam sicut insolitum hujus robur finem vitæ plerumque portendit, ita, quum se luxus maxime ostentat, Reipublicæ ruinam minatur maxime. Diximus modo, quantum Spartæ profuit frugalitas; cujus durities & rigor postquam mollescere cœperat, & vetus exoleverat disciplina, quæ imperare diu consueverat, in servitutem fuit redacta. Quis porro nescit, quantum Respublica Romana vixit, dum usum pecuniarum vel ignoravit, vel eas publicis magis quam privatis usibus impenderunt cives? Ast quam mutata est scena, quum luxui sese manciparunt Quirites? Scilicet masculas illas virtutes, quas majores eorum coluerant, sensim dediscebant, tandemque penitus obliti erant: atque, ut nunquam prius tantum divitiarum in unum quasi cumulum reperitur congestum, quantum post victam Africam, Asiam atque Europam onerabat Romam; ita tanta quoque eam corruptela morum inundavit, ut parem nec ante nec post viderit Orbis. Præter effrænatas libidines sacra auri fa-

mes ipsa Civitatis viscera pervasit. Senatus decreta, Judicum sententiæ, & Populi suffragia licitantibus cedebant; nec quidquam ab hac lege erat exemptum: quamobrem Jugurtha Roma excedens non immerito dixit: *O! Urbem vendem! modo inveniat emptorem.* Æquali cum avaritia impetu grassabatur ambitio; unde seditiones proveniebant & civilia bella, quibus, sed non illis, unde existerant, vitiis una tum servitus finem imponere valuit.

§. IX.

Sicut ignaviam, torpidam illam luxus sobolem, in Civitate minime esse ferendam, existimamus; ita æquum omnino est, ut liberi cives continuis se exercent laboribus, illasque sollicite excolant artes, ex quibus veram percipere possunt utilitatem. Has in se comprehendit **STUDIUM OECONOMIÆ**, vocabulo hoc in latiori sumto significatione. Dies autem me deficeret, si singula, quæ ad commendationem nobilis hujus artis pertinent, vel leviter nunc perstringerem; sufficiat igitur strictim indicasse, quod studium hoc fortes alacresque reddit cives, census illorum amplificat, subsidia rebus gerendis necessaria subministrat, adeoque Rempublicam firmat. Ea vero est imperiorum Despotici atque Monarchici indoles, ut minus in his, quam in Libera Civitate floreat Oeconomia. Quum enim in illis tributa Civibus pro arbitrio Imperantis imponantur, & hic ipse tanto se ditiores existimet, quanto majores in ærario co-

accr-

acervatas habet opes, qui stipendiis laborum se defraudari vident, exiguam Oeconomix operam impendent; probe gnari, quod vexationibus materiam sua tantum præbeant solertia. At in Libera Republica, quum cives, solutis modicis vestigalibus, reliqui summam vel in præsentibus necessitatibus impendere, vel in futuros usus reservare possint, turpiter forent socordes, nisi promoverent Oeconomiam. Præterea non una suppetit ratio, cur studium Oeconomix Populis Liberis imprimis sit necessarium. Per Oeconomiam necessaria vitæ comparantur, quibus deficientibus, non furta solum & rapinæ crebrius exercentur, sed majori quoque numero aliquando conglobantur, qui junctis viribus prementi necessitati succurrere audent. Experientia quoque docet, graves quandoque seditiones hanc ob causam commotas fuisse. Cavendum itaque est & sollicitè providendum, ne desiderata annonæ in transvorsum rapiat cives. Deinde per Oeconomiam efficitur, ut res familiaris civium gliscat, & sorte sua contenti vivant; unde evenit, ut in Patriam sint melius affecti, & in ea permanere cupiant: contra vero si fiat, conditionis suæ pertæsi, præsentem Patriam susque deque habent, & aliam sibi quærendi quascunque spectant occasiones. De cætero, qui Oeconomix strenuam navant operam, suis ita occupantur negotiis, ut alienis & publicis præsertim se temere non ingerant, quorsum proni feruntur circulatores otiosi. Huc denique accedit, quod quo civium plures se applicant Oeconomix, atque

que inde solum fortunam florentiorem expectant; eo minor eorum numerus erit, qui munera publica ambiunt, ac de his, ut fieri solet, acerrimas inter se agitant contentiones. Hæc mala quum in Libera Civitate facilius existant, gravius se exerant & difficiliter amoveantur, eo majori diligentia sunt præveniendæ; quam ad rem ut multum confert Oeconomia, vel inde judicari potest, quanti sit in hoc regimine æstimanda. Hæc Liberis Populis & olim & recentiori ætate fuerant exploratissima; quamobrem in Oeconomia excitanda nulli operæ pepercerunt, ita quidem, ut alii hanc alii illam ejus partem singulari quadam industria urgerent, pauciores totam complecterentur. Apud Phænicios, Carthaginenses, Athenienses, Rhodios, Corinthios opificia & commercia præcipue floruerunt. Opera doctioris manus parcius tractabant veteres Romani, veriti scilicet, ne per illa luxui aperirent fenestram. Eo intensius operabantur agriculturæ, quam, ut rei militaris, primas apud eos tenentis altricem spectabant; & quantum huic statuerint pretii, vel inde patet, quod ab aratro in urbem vocabantur Dictatores, & agri subigebantur manibus laureatis. Hinc factum, ut quantum cæteris populis prævaluerunt armis, tantum agri colendi arte præstitisse videantur. Et miraculi instar est, quod per tot deinde secula in hac scientia vix quidquam inveniri potuerit, cujus in monumentis eorum expressa non reperiantur vestigia. Si XXVIII Magonis de agricultura libri
super-

superstitēs mansissent, quorum mentionem facit Plinius, & quem Virgilius in Georgicis imitatus fuisse perhibetur a Servio, quod optima quæque continerent, eo magis credibile est, quia Romanis tanti sunt habiti, ut decreto Senatus in latinum sermonem converterentur. Neque negari potest, quin agricultura tum quoque in Africa ad insignem perfectionis gradum fuerit provecta. Quum ad propiora nobis tempora progredimur, hic etiam Oeconomiam Libertatis comitem fuisse videmus. Exemplo sunt Angli, Veneti, Genuenses & alii. Neque tamen Gallis abjudicamus laudem exultæ Oeconomiae artium & commerciorum; quod Agriculturam attinet, Anglis utique adhuc sunt inferiores. Ut ad Patriam dulcissimam deveniamus, rei metallicæ, ad multa retro secula hic referendæ invictum testimonium perhibent fodinarum, Fahlunensis præfertim & Sahlbergensis laxitas atque profunditas. Navigationem & commercia in Græciam, immo Constantinopolin usque extensa fuisse veteres tradunt relationes. Ut domesticum neque incelebre est Wisbyense commercium. Agriculturam qualemcumque ipsa necessitas extudit. De opificiis non attinet dicere, quæ talia prope erant, qualia vulgi esse solent. Successu temporis cultu vitæ & artium magis magisque per orbem Europæum incremente, etiam hic ex pristina ruditate sensim eluctari cœpit Oeconomia, lætiores absque dubio factura progressus, nisi, quæ crebra interveniebant, bella obstitissent. Nostra vero ætate, adflante aura Libertatis plenior,

re, magna hæc ars quoad omnes fere partes, scientiis etiam in subsidium vocatis, ea alacritate excolta est, quæ exterorum quoque meruit attentionem. Dolendum vero, quod hæc salubriter destinata & feliciter provecta casus quidam fatales interturbarunt; quas nubes, densiores illas quidem discussuram fore Providentiam speramus.

§. X.

Harum, quas in superioribus attigimus, Virtutum fructus exoptatissimus est *Concordia*, omni quidem Civitati, Liberæ vero maxime necessaria. In Despotismo totam imperii compagem penetrat metus, & omnes ejus partes duris utique, sed sæpe fragilibus admodum clavis compingit. Nec facile coacta illa externorum actuum congruentia interna roboratur animorum consensione; quare non desunt, qui existiment, veram Concordiam a violento hoc imperio longe abesse. "Dans l'accord du Despotisme Asiatique," inquit MONTESQUIEU, "c'est à dire, de tout gouvernement, qui n'est pas moderé, il y a toujours une division réelle; le laboureur, l'homme de guerre, le négociant, le magistrat, le noble ne sont joints, que parce que les uns oppriment les autres sans résistance." (Vid. *Considerations sur les causes de la grandeur des Romains & de leur decadence*, p. m. 79.) In Monarchia esse pot-

potest Concordia, quam mutua inter Principem ac cives, & inter hos invicem benevolentia tue-
tur atque conservat. Esto etiam, quod hydra
illa lernæa, discordiam intelligo, caput inter-
dum exfereret, tantumque efficeret, ut, qui
summæ rerum præfecti sunt, ministri per mu-
tuam æmulationem negotia implicarent, adest
mox Princeps, & supremæ, quam solus tenet, po-
testatis gladio secabit nos. Quæ reliquos in-
ter cives existunt dissensiones, has eadem po-
testate vel in herba opprimit, vel ita coërcet,
ut nihil inde turbarum sequatur. In Liberis au-
tem Civitatibus tanto carior esse debet Concordia,
quod ex ipsa conservatio earum & robor singula-
riter dependet, & quod illa in exilium pulsa diffi-
cilis revocari potest. Habent enim singulæ Im-
periorum formæ hoc inter se commune, quod di-
versas admodum civium opiniones ad uniformes
rationes redigunt. Enimvero, ubi Libertas obti-
net, id negotii pluribus datur in quos aliena vis
nihil valet; quare nisi & suam & Patriæ salutem
deferere velint, ipsi sibi consulant necesse est.
Duo omnino sunt cardines, quibus publica salus
vertitur, prudentia scilicet in consiliis capiendis,
nec non in illis exsequendis constantia, quarum
utramque Concordia sustinet animatque. Dum e-
nim plures in rebus dubiis suas in medium pro-
ferunt sententias, easdemque exacta pariter at-
que amica disceptatione excutiunt, dubitari ne-
quit, quin maturescant consilia & ad publicam fe-
lici-

slicitatem rectius dirigantur; prout arcana quævis fido premuntur silentio. Cæteri quoque Civēs decreta prudentiorum promte exsequuntur, & quod alibi a rigido unius imperio expectandum est, robur arcta unione sectantur. Vera itaque Concordia, quæ ex ipso animorum fundo excrefcit, in Libera præsertim Republica florere potest, quo spontanea magis, eo præstantior. Semen, ex quo concipitur, & alimentum, quo nutritur est Virtus. Quemadmodum arbores ventis violentioribus agitatae, si firmas habuerint radices, quum ruituræ videntur, stant tamen; ita, quæ Virtuti infixæ est Concordia, quatitur interdum dissidiis, non vero evertitur, sed quasi per vim elasticam mox in statum regreditur priorem.

Ut Concordiæ mater ac nutrix est Virtus, ita discordiarum principia & fomenta sunt cupiditates & pravi affectus, ambitio nimirum, avaritia & quandoque etiam voluptas, quibus odium, invidia & vindictæ cupido subserviunt. In discordiis regnant factiones, quarum principes, his stimulis agitati suis quilibet rebus vires & incrementa, quibus unquam possunt modis quærere non intermittunt. Hinc boni publici, immo Religionis quandoque causa obtenditur. Hinc fucatae amicitia & simulati amoris ludibria simplicioribus objectantur. Qui solidiora expetunt, largitionibus capiuntur. Deficiente illis materie, substituuntur ingentia promissa. Quod si ne hæc quidem suffi-

ci-

ciant; re præsertim longius progressa, in subsidi-
 um venit metus, omnibus diversum sentientibus
 extrema interminans. Ut breviter dicam, quic-
 quid humanum excogitare potest ingenium, ten-
 tatur, & post obscuros variis in latebris amfractus
 tandem in scenam producit. Multa hujus officinæ
 opera exhibet Historia, sed credibile est, ne
 centesimam quidem partem ibi locum invenisse.
 Sic, quæ una esse debet Civitas in partes discindi-
 tur, quæ contrario nisu sibi invicem reluctantur;
 unde non potest non causa communis maximum
 capere detrimentum. Quantum dissidia ingrave-
 scunt, tantum ipsa Reipublicæ fundamenta vacil-
 lant; & quum concordia res parvæ crescunt, di-
 scordia maximæ dilabuntur. Hæc est illa Imperio-
 rum pestis, quæ Gentibus magis exitio fuit, quam
 bella externa; & vere dici potest, quod pauciora
 omnino Regna ab hostibus deleri potuerint, nisi
 prius odiis internis se ipsa consumserint. Ut ma-
 xima sunt Concordiæ bona, ita mala discordiæ
 innumera; selectiora quadam utrorumque exem-
 pla ex Historia depromere non alienum videri-
 tur. Aluit in gremio suo antiquissimis tempo-
 ribus Græcia plures Civitates, quæ, licet mori-
 bus atque institutis diversis gauderent, in eo ta-
 men convenerunt, quod Libertatem suam con-
 servare niterentur, indignum plane ratæ exte-
 ris servire. Hæc dignitatis perversione animosi
 & veluti feroces erant Athenienses, quum Persarum
 Reges Darius & Xerxes tantis eos adgre-

derentur viribus, quantæ omnem fere superant fidem. Dicitur autem vix potest, utrum major fuerit Atheniensium Concordia an fortitudo in his hostium examinibus propulsandis; utraque certe factum est, ut in campo Marathonio primum, & deinde prope insulam Salamina victi fuga salutem quærere fuerint coacti. Verum hæc nocumenta Persis documenta erant; nam experientia illos docuit, Græcos non armis superandos, sed pecunia corrupendos atque dissociandos esse. Hac mente legatos ad celebriores miserunt Civitates, qui discordiarum semina ubique spargerent, & Græcos ad bella inter se gerenda, quibus ipsi quandoque supeditabant sumtus, sollicitarent, adeoque propriis illos viribus contererent. Successerunt admodum hæc molimina, & Græciæ a se ipsa dissentienti jugum servitutis facile imposuissent Persæ, nisi ultimi eorum Reges rem militarem neglexissent & bellicam gloriam. Non sic tamen duram conditionem Græcia discors evitavit. Præfuit tum Philippus Regno Macedonico, si amplitudinem spectes, perquam exiguo, si Concordiam inter Principem & cives, satis potenti. Hic vero pro ea, qua fuit perspicacia vidit, quantum stratagemata Persica valuerant ad debilitandum Græciæ robur; quare multum sibi pollicebatur, si eadem continueret. Mox igitur præstantissimos Civitatum Oratores amplissimis largitionibus ita sibi addictos reddidit, ut non Patriæ saluti, sed Regis consulerent imperio, omniaque ex ipsius arbitrio agerent.

Sic

Sic inter Græcos vel excitavit discordias, vel pridem excitas solerter fovit, atque infirmioribus contra potentiores opem ferendo omnium vires ita sensim comminuit, ut Libertas Græciæ in prælio ad Chæroneam extremum efflaret spiritum. Neque hoc experimento prudentiores facti erant Græci. Quum enim deinde, imminuta sensim potentia Macedonica, Civitates Græcæ pristinam recepissent libertatem, veteres quoque mores repetebant. Crebris namque discordiis bellisque inter eas exortis, non sufficere videbatur, si reciprocis tantum injuriis ac damnis se invicem vexarent, sed quæ propriis viribus minus fidebant, Romanos, potentia majorem in modum crescentes, in partes vocabant, eosque vel arbitros implorabant, vel auxiliares. Hi conditionem oblatam eo lubentius acceperunt, quo magis bella, seu commodas imperii proferendi occasiones captabant. Sic factum, ut aliis opitulando opprimerent alios, donec eadem fortuna circulum quasi describente, omnes in servitutem redacti exitiabilem sibi errorem animadverterent sero. Neque probabile est, quam subiit sortem, experturam fuisse Carthaginem, nisi Hannonica factio Barcinæ opposita supplantasset Hannibalem, & victricibus ejus armis remoram iniecit. Quid de Gallis dicam atque Germanis? qui, quum Græcis stultitia similes, inter mutuas discordias & concertationes in auxilium vocarent Romanos, communem sibi arcessabant servitutem. Ad Romam pro-

gredi-

gredimur orbis Dominam. Hæc dum Libera fuit, tantum Concordiæ detulit, ut huic, tanquam Deæ magnifica templa exstruenda curaverit. Prima hujus virtutis qui & urbis fundamenta posuit Romulus, Jura Patrocinii & clientelæ introducendo, quibus Patres & plebem arcte adeo confociavit, ut cum certamine mutuæ benevolentia per plures ætates inter utrumque hunc ordinem summa fuerit consensio. Quin etiam, quum quædam hanc interromperent discordiæ, imminentibus periculis earum obliti, animos viresque pro Patriæ salute conjunxerunt. Constitit hoc inprimis, quum Hannibal post pugnam Cannensem erat ante portas, & fœderatæ passim Civitates moliebantur defectionem. Quam enim unanimes erant in consiliis capiendis? quam alacres in novis legionibus contrahendis? quam æmula omnium studia in avertenda hac calamitate? Immo perhibent Historici, quod tanto certamine operam obtulerint, ut omnes prima inter primos nomina sua tabulis publicis inscribi vellent. Hujus quoque Concordiæ dignum tulerunt fructum, quum hostem cunctando primum fatigaret, deinde, bello in Africam translato, suis in sedibus frangerent, atque ita vincerent, ut pax gloriosa victoriam sequeretur. Perquam diuturna igitur, si hanc conservassent mentem, Romanorum potentia fuisset; sed, quam nulla vis externa convellere potuit, hæc facili negotio fracta jacuit, postquam Respublica perpetuis factionibus

bus agitari & discordi licentia cœperat lascivire. Sic, quum inter bella interna, proluxa quadam serie continuata, tot Romanorum myriades paucorum ambitioni essent immolatae, ipsa tandem Libertas sanguine civili mersa periit, ut ejus nihil fere superesset, præter umbras quasdam evanidas & inania pristini moris imitamenta. Nec tempora recentiora carent exemplis, Libertatis per discordias vel amissæ, vel in extremum discrimen adductæ. Quæ Galliam tamdiu lacera- runt, intrinseca mala tolli non potuerunt prius, quam forma regiminis Monarchica recipe- retur. Quos Anglia spectaverit gladiatorios ludos, Carolo I:mo regnante, & quid ausus fue- rit Cromwellus, satis est notum. Belgium fœ- deratum, cujus anima est Libertas, & symbolum Concordia, dum bellum cum Hispanis manebat, tempore induciarum & non semel alias, per motus intestinos in præcipiti hæsit periculo, ne Liberum esse desineret. Neque Germania hujus est inexperta discriminis. Quid Carolus V:tus, Hispaniæ viribus munitus, per dissidia, ex Re- ligione enata tentaverit, constat. Sub Ferdinan- do autem II:do, Liga Catholica armato, in a- gone constituta erat Libertas Germaniæ; & a- ctum de illa fuisset, nisi, quod ipsi fatentur Ger- mani, GUSTAVUS ADOLPHUS de coelo de- missus excepisset labantem, & a præsentis inte- ritu vindicasset. Quod Sveonum vetus fuerat & avitum patrimonium Libertatis, id, per tempus

aliquod interceptum recuperarunt, atque adhuc tenent; & ex Sapientum sententia, per omnem temporum experientiam confirmata, eo tutius retinebunt, quo arctius adhærebunt Virtuti. Hoc quum fecerint, ut spes est, quam a Majoribus acceperant & exteris asseruerant olim, hanc per gratiam Divinam feros ad posteros transmittent

Libertatem, veram & genuinam, nec
ulla licentia temeratam.

S. D. G.

